

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Frey E. L.]: Quomodo nos erga inimicus geramus explicuit, 15 Jun 1793

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

Quomodo nos erga inimicos geramus
explicit

E. L. Frey, Theol. St.
d. 15. Jun. 1793.

Summa 275 muni apte 2011 275 muni

hinc inde

hinc inde 275 muni

275 muni 21 5

patent
tempore
sanc. in
culpa
sue oc
viam
ne con
expirim
sue d
tus abo
not om
per pr
lat. qu
indulge
eum n
git. or
vicia
jngue
litas

Director gravissime
Socii ornatissimi!

Intento animo historiam praeteritorum
temporum aevique contemplantes, neminem
sane invenimus mortaliū, qui nunquam
culpaē cuiusdam vitiosius fuisset, quem non
suus occupasset error. Et si nostram
vitam respicimus, quot in nobis ipsis pra-
vas consuetudines, vitia atque errores
reperimus, quas neque temporis benignitas
neque diligens atque contenta cura peni-
tus abolere potuerunt. Vel perfectissimus
non omnibus horis sapit, nec tanta sem-
per prudentia in custodia sui ipsius vigi-
lat, quin cupiditati cuiusdam interdum
indulgeat aut culpaē succumbat. Nulli
enim mortaliū virtus perfecta conti-
git; omnes quotquot in terra sumus
vitia atque errores circumferimus,
singuli suos. Haec vero imbecil-
litas et commune naturae vitium

faciles nos reddat erga infirmitatem ali-
 orum, etiam si offendimur et molestia
 afficimur illa. Sane nunquam durus
 aut acerbus est peccantibus sapiens, sed
 mitis et patient^{ti animo} eos in viam rectam re-
 ducit, errorem emendans, vel ita moderans,
 ne caeteris sit periculosus. Atamen
 haec emendatio atque correctio erroris tan-
 tum apud eos locum habet, quorum
 culpa infirmitate naturae orta, vel pra-
 va consuetudo est, vel animi levitas. Sed,
 quod maxime deplorandum, etiam sunt qui-
 bus gaudium est et delectatio alios offendere,
 vel innocentibus injuriam inferre eosque in-
 felices reddere. Quibus quidem emendandis
 honestus vir, cui salus et quies hominum
 curae cordique est, non sufficit plerumque,
 et si omnem impendat operam; tamen igno-
 scit illis, neque ulcisci cogitat, quidquid a
 malignitate eorum passus fuerit; contra

vero omnia quae potest beneficia ipsis
tribuit; injurias eorum atque offensiones
in suum commodum convertere studiosus.

Locuturis itaque: quomodo nos erga
inimicos geramus, tria nobis sese offerebant
proponenda:

Ante omnia: Ne acceptam injuriam in-
juriis compensemus; sed potius
offensionibus beneficiis re-
spondeamus;

et denique: quomodo ex inimicis capi-
enda sit utilitas.

Nihil forsitan inculto homini optatius
est quam id quod accepit vel bonum vel
malum inferentibus reddere. Hinc na-
turali quodam instinctu propendet ad
remuneranda beneficia, hinc insatiabilis
ulciscendi ardor. Utrique in votis est
ipsi, benefactori vitam jucundam red-
dere, secundo fortunae sine ulla offensione
cursum; et omne bonum, quo ipsum af-

fecit, si fieri potest majore adhuc libera-
 tate repensare cupit. Ut illi labores et
 molestias vitae comminuat, libenter par-
 tem oneris subit, quemque laborem pro
 illo susceptum nibili aestimans. Con-
 tra vero cuncta, quae ab inimico male
 passus est, in auctorem revolvere
 studet omnemque in hostem accumu-
 lare fortunam adversam atque pericu-
 lum, quod ipsi paraverat. Hunc in-
 felicem aspiciere rudi ac nulla doctrina
 honesti ingenuique exculto gratiosissimum
 spectaculum, et vindicta animam explere,
 si potentior fuerit, gaudium est ple-
 nissimum. Sic cogitat is, cui jus sum-
 mum atque indubitatum videtur accepta
 referre; cui dulce bonum est ultis, ipsa
 jucundius vita. Neque praeceptio sapi-
 entiae, quae philosophia ministrat, neque
 miti et humana religione coercitus talis
 homo levisimis causis flagrat, neque

iram cohibere potest; et impotens sui, oblitus
decoris, ratione consilioque praecclusus, acqui
et veri immemor solam meditatur ultionem.

Non vero ita mite sapientis ingenium.
Aequo animo injuriam fert, cui resistere
non valet; et, si etiam potentior esset,
ignoscens obviviscitur. Et hoc tibi debet
philosophia, alma virtutum parens, tolle-
rantiae atque humanitatis amica! cui vi-
tam impendit. Tu cum domisti, quae sit
patientiae atque moderationis pulchritudo,
quaeque impotentiae deformitas; quibus
modis illam assequi, ab hac declinare pos-
sit, te duce didicisti atque magistra. Tu
ei comonstrasti, cupiditates sese jactantes
et frena rationis recusantes affectus, acer-
rimos esse hostes, nisi assidua vigilantia
vim eorum coerceat; atque ultionem in-
firmi et pusilli animi esse voluptatem,
perfectioni nostrae, quo omnes actiones

atque consilia referre oporteat, obstare, et tranquillitatem animi auferre, sine qua nulla felicitas.

Quibus innulritus praecipit vir sapiens, neque conviciis laceosus neque irrisus aut alia injuria affectus perturbatur, non illa pati, sed facere turpe ducens. donec infra dignitatem suam existimat, injuriam repensare injuriis, miseria potius tangitur infelicis, qui nulla occasione irascendi data, insontem offendere non dubitavit.

Qualem nimirum utilitatem ex ultione capiat? An forsitan adversarium ad cognitionem erroris perducet? Minime credo. Ultio enim denuo odium parit, ad novas injurias incitamentum, quia inimicus ab quo vindictam exigimus, majorem adhuc atque justiore nos persequendi causam habere arbitratur, nunquam postea injuriis desistet.

Si vero offensus nullo modo injuriam
animadvertit, adversarius intelligens se non
posse turbare quietem tanti viri, dignitate
et constantia ejus permotus erubescet, et
pigebit, se tam improbum fuisse, tali viro
colorem atque molestiam ^{inferre} allaturum. Et
si jam eo ventum est, ut poeniteat offenso-
rem injuriae illatae, facile, adhibita miti
tractatione atque benevolentia in amicum
nostrum convertetur: Quippe nullius fere
tam aspera tamque effera est improbitas,
quae facilitate et beneficiis non possit ex-
pugnari.

Quod si vero is jam multo honore dignus
sit, qui offensiones oblata occasione non
ulciscitur, quanto majori dignum aestima-
tis, qui ^{audire} beneficiis praeterca ornatum vin-
culis benevolentiae atque humanitatis ad
amicitiam suam retrahere studeat adversarium.
Hic tandem vera virtutis vis enitescit, hic
ostenditur, quid efficere possint sapientiae

praecepta in pectore prohi. Benevolus enim et moderatus in amicos animus non tam praeclarus est, quam turpe contrarium. Non ultisci inimicum, si quando in manus tuas incidit, humanitas suadet atque officium: sed misericordem se praebere erga inimicum cum adversa fortuna luctantem, adjuvare afflictum, beneficiis ornare egentem, et, quo nobis ad vitam sustentandam opus est, partiri cum esuriente, — haec nimirum summa magnitudo est animi, ut quisquis ea non moveatur, quisquis tantum virum non summo amore amplectatur nigerrimus esset ac dedecus naturae.

Tali modo speciosius aliquanto injuriae beneficium vincuntur, quam mutui odii pertinacia. Non igitur arte aut vi, sed humanitate et justitia inimicum superare studeamus, quippe in his tantum virtutibus vera fortitudo et

gloria posita est. Quamquam per nos fla-
 ret inimicum perdere, nullam iniquitatis
 suspicionem moventes; quia opinione com-
 muni definitum est, cum minus peccare
 contra justitiam, qui acceptam injuriam
 ulciscitur, quam qui prior inferit; tamen
 vel maxime oportuna occasio ulciscendi
 omittenda, quia utrumque et prius inferre
 et ulcisci ab eadem animi infirmitate
 proficiscitur. At potius consuetudinem
 foris quaeramus, errorem ei ostendere
 parati, non vero contumeliose neque ut
 patientia nostra elucescat, sed benigne atque
 ingenue. Facile tunc culpam sentiet et
 pudore suffusus, in animo revolvens quan-
 to melior atque superior sit, cui injuriam
 intulit, religione quadam et poenitentia
 tactus in amplexus nostros revolabit
 et mortalem nobiscum contrahet ami-
 citiam.

Sic humanitate et beneficiis hostem nobis devincere studeamus et omnibus noxiis prius veniam demus praeterquam nostris. Beneficia beneficiis repensemus, non autem injurias injuriis; illic enim vinci turpes, hic vincere. Injuriam inimici propulsare officium nobis injungit, sed nunquam in animum veniat, prava iracundia seducti premere periclitantem aut exultare dejecto. Uoque ad ultimum vitae finem, philosophiae praecepta, quae talia docent ante oculos habentes, non desinimus omnes homines amare, adjuvare singulos, opem ferre vel inimicis et beneficiis in amicitiam nostram revocare inimicissimos.

Sed pro dolor etiam sunt, minimus vero eorum numerus, qui omni adhibita cura neque recti tractatione, neque beneficiis ad nos reducuntur, vel quia nimis vitio dediti nunquam virtutem amanti favent,

205.
vel quia minutissimis causis flagrantes nullo modo poenitenti ignoscere possunt. A quibus nullo malo affici vulgus hominum satis habet; at viri prudentes etiam utilitatem ex eis capiunt; uti prudens medicus venenosis herbis utitur, morbos periculosissimos sanaturus, sic sapiens omne quicquid in inimicitia maxime alias detestanda re, ipsi emolumento esse potest diligentem disquirat atque in suum commodum vertit. Quod vero inimicitia magnam nobis afferat utilitatem dum vigilantes nos faciens cognitionem nostri ipsius auget atque ad coercendas cupiditates impellit, pace Vestra, precibus ad huc exponemus.

Plurimi, quos habet probus inimicos non quia durus est aut detrimento ipsis fuit, odio eum prosequuntur, sed plerumque ira ex iniquitate eorum ortum tantum. ideo in illum saevit, vel quia con-

filiorum pravorum particeps fieri noliis,
 vel fortunã suã, quantulacunque sis, invi-
 diam eorum sibi contrahis; satis illis caus-
 sac omnes in eum accumulare injurias.
 Sed ut quoque apud alios odium nostri
 excusare possit, semper advigilans obser-
 vat adversarius, quid agas, et sollicitè vi-
 tam tuam disquiris, an quid perperam
 facti inveniat. Errorẽ forte investi-
 gatum gaudio exsultans ubicunque præ-
 dicabis, ut vitius nostris culpa se absol-
 vere et amicos à familiaritate nostra
 avocare possit; quia facilius erit, sin-
 gulos nos opprimere, si calumniis et
 obtreptionibus, qui nos ab injuria
 tueri valent a partibus nostris ad suas
 trahit. Consilia itaque prava inimici
 vitaturis semper vigilandum est, sem-
 perque et dicta et facta scrutanda, utrum
 sint probata an minus: longo denique

usu in consuetudinem recte agendi moresque componendi ducimur, tantam in exercenda virtute acquirentes facilitatem, ut nec cupiditatum impetus nec voluptatis illecebrae ab ea nos dimovere queant.

Eadem vero inimicitia, quae vigilantiam praecipit, aliam praeterea offert utilitatem, dum noscere nos ipsos docet. Plerique hominum non tanta diligentia atque integritate vitam suam observant, ut se ipsos cognoscere possint. Aliorum vero minutissimis vitiis offendimur, eorum censes sumus, nostra mala haud animadvertentes. Quisquis itaque se ipsum penitus noscere studet; quae suae sint virtutes quaeque vitia ex aliis audiat necesse est; quum vero amicitiae vox ad reprehensiones tam exilis atque erroribus nostris nimis sit indulgens, audienda ex inimicis veritas, etiamsi iudicium eorum de nobis acerbius atque iniquius foret. Convicium, quod ira expressit, latens quoddam aut

neglectum apperit vitium et ad id sanandum
 portatur. Sic obtrusio quoque, quamvis
 falsa sit, incitamento nobis esse potest, ut
 causam criminationis investigemus. Ca-
 veamus, ne deinceps a nobis comitatur
 aliquid affine aut simile ejus, quod objectum
 est. Ea ratione inimici malignitas ad cogni-
 tionem sui ipsius prudentem monet.

Cui vero maledictus ab inimico non
 saluti ratione in se ipsum descendens dili-
 genter disquirat, num obnoxius sit culpa
 quae obicitur, sed tantum considerat,
 an non hostis etiam pravi quid in se
 habeat, quo eum infamare possit, non
 solum nunquam ad cognitionem sui
 ipsius perveniet, verum etiam optimam
occasionem affectus compescendi praeter-
mittet. Hoc enim studium convicio convicium
 ulciscendi iram ostendit atque nocendi cupidi-
 tatem; quae simul mentem occupant et longa
 consuetudine in animo haerent, nunquam

postea eradicaveris, et rationis detrectantes im-
 perium ocius serius amicitiam ipsam turbabunt.
 Qui autem re inimicis quidem durus aut acerbis
 est, neque florentibus eorum rebus tristitia af-
 ficitur, bonorum vero, quae in ipsis deprehen-
 dit, aequo laudatur; eo magis erga alios
 benevolentem se praebit, nunquam invidio-
 oculis prosperam eorum fortunam aspiciet,
 aut virtutibus, quas ipse non habet, offen-
 detur. Et si virtutes quoque inimici agnosci-
 mus atque aestimamus, vituperantes vitia ejus
 et injuriam quo nos affecit, majorem apud
 alios invenimus fidem, dum re ipsa osten-
 dimus vituperationem illam non ab invidia
 aut turpi timore proficisci; et nulla denique
 re magis ad studium virtutis atque incu-
 patam vitam accendimur, quam justitia
 in adversarii perfectiones; quia nihil ad
 dolorem gravius aut acerbius nobis ac-
 cidere possit, quam ab illo superari
 virtute, cujus scelera detestamur.

Tali modo sapienti mala quoque, quae
 perversitas et impotentia mortalium vitae
 imiscebant, et inimicitia ipsa ad perfectionem
 sui ipsius inservire oportet. Sic adversarii
 contra voluntatem quidem et animum ma-
 ximam ei afferunt utilitatem, dum vigilan-
 tia, quam suadent, adjutus et vitia et virtutes
 suas cognoscit, emendaturus illa, haec ve-
 ro amplificaturus, dum occasionem illi
 praebent vim cupiditatum frangendi, et
 invidia, odio et livore sepositis, benevo-
 lentiam exercendi atque humanitatem.